

Promittendi. Duo vel plures Rei stipulandi sunt, qui stipulatur sibi aliquid ab altero dari, vel fieri, & promissor una responsione utrique, vel pluribus responderi v. g. utrique, vel cuique vestrum dare spondeo. Duo Rei promittendi sunt, dum uni stipulanti plures aliquid simul promittunt. v. g. Titius, & Mevius spondescunt dare: utroque respondeat: spondeo, Titius, & Mevius sunt Correi promittendi. In aliis contractibus vocantur Correi credendi, quibus aliquid debetur, & Correi debendi, qui debent aliquid alteri. Debitum ex huiusmodi obligationibus est in solidum, quia solidum singulis debetur, & promittentes singuli in solidum tenentur §. 1. h. t. equitas tamen suadet, ut unus solidum solvens regressum habeat contra alterum pro dimidio debito, quasi negotium ipsius gesserit; imo beneficium divisionis non videtur Correis debendi denegandum Nov. 89. c. 5. Auth. Hoc ita. C. h. t. ex quo emendatur l. 2. C. de l. 2. 11. ff. eod. Ceterum non repugnat, ut ex duobus reis promittendi, alius pure, alius sub conditione, aut in diem obligetur. §. fin. h. t.

18. **Titulus XVIII. De Stipulatione Servorum.** 1. Servus, non quidem ex propria persona, sed ex persona domini (vel hereditatis facientis seu domine) jus habet stipulandi, & quidquid rerum acquirit, domino acquirit. Liberi quoque in potestate patris postea stipulando acquirunt patri; & quidem peculium profectitium plene, adventitium quo ad usumfructum; castrense nullo modo, sed sibi. Manz. 2. Si servus factum stipuletur v. g. ire; vel agere per fundum alterius, obligatio quidem, & actio sustinetur in persona domini; ipsum vero factum solus servus, non dominus, exercere potest; ut ire per fundum alienum §. 2. h. t. 3. Servus communis communiter acquirit utrique domino; nisi specialiter iustus, aut nomine unius stipuletur; vel si alteri acquirit nequeat: tunc esum solidum uni domino acquiritur. §. fin. h. t.

19. **Titulus XIX. De divisione stipulationum.** Stipulationes alie sunt iudiciales, alie pratorie, & alie conventionales, alie communes sive sint pratorie, sive iudiciales pr. h. t. iudiciales sunt, que sunt ad preceptum iudicis; ut cautio de dolo, ne v. g. pendente iudicio, res destruat, cautio de perseguendo servo, qui in fuga est, ne ipsum v. g. alteri legatum, heres abire sinat &c. 2. Pratorie sunt, que descendunt ex Edicto Pratoris; & pratorum implorato nobili officio conceduntur; ut cautio de damno infecto, de legato, vel fideicommissio custodiendo in casu, quo sub conditione, vel in diem relicta est. Hac etiam spectant cautiones ad litem v. g. duple in casum evictionis l. 56. ff. de evictione. de indemnitate, si res vitiosa vendita est l. 1. §. 1. ff. de Adil. Edict. 3. Conventionales, que sunt ex conventionne partium, suntque innumera, sicut negotia. 4. Communes, que iusti Pratoris extra iudicium, vel officio iudicis in iudicio sunt v. g. rem pupilli salvam fore, rem varam haberi &c. Vide in Pandectis lib. 46. tit. 4. & seqq.

20. **Titulus XX. De inutilibus stipulationibus.** Stipulatio, cujus materia est omnis res dominio nostro subijcibilis, redditur vitiosa, seu inutilis ex pluribus capitibus: 1. Si fiat circa rem impossibilem, sacram, religiosam, & extra commercium humanum positam, nuptem, vel suam, aut circa factum alienum, quod non est in potestate promittentis. §. 1. 2. h. t. Neque sonatur talis stipulatio, si referatur ad tempus habile v. g. dum res sacra erit profana, dum liber homo erit servus; quia funestum est expectare eventum talis conditionis. 2. Si quis extraneæ persone stipuletur, nihil agit, nisi sola solutio in extraneum referatur, ut mihi, aut Sejo dare spondeo. Si quis vero sibi, & alteri stipuletur, valet quidem stipulatio in solidum, sed non in solidum §. 3. 4. h. t. 3. Si responso incongrua fiat, ut si interrogaris pure, & respondeas conditionate, Eo tamen casu, quo quis stipulatur decem aureos, & tu promittis quinque, non subsistit quidem stipulatio quo ad decem, ut loquitur Imp. §. 5. h. t. bene vero quo ad quinque; in qua summa ambo conveniunt, neque utile per inutile vitandum est. 4. Si stipuletur quis ab eo, cuius juri subijcitur est, & e contra; vel mutus, furiosus, vel a pupillo sine auctoritate tutoris. Pupillus tamen intellectum habens per se recte stipulatur. §. 6. 7. 8. 9. 10. h. t. 5. Si adijciatur conditio impossibilis affirmativa v. g. se digito celum arigero,

dare spondeo? at negative valet: si digito celum non arigero, non tamen inter absentes. §. 11. 12. h. t. 6. Stipulatio concepta in tempus mortis, vel pridie mortis, vel post mortem, ut si navis ex Asia venerit, hodie dare spondeo; valet, quia contractus ex conventionne legem accipitur. §. 13. & seqq. h. t. 7. Si erent in corpore, seu re, ut si tu Stichum stipuleris, & alter de Pamphilo sentiat. §. 23. h. t. 8. Qui stipulatur hoc anno, vel hoc mense sibi dari, non potest petere, nisi lapsa toto anno, aut mense. §. 26. h. t. nam totum illud tempus est in favorem debitoris, adituque solutionis differenda causa. §. 2. Inst. de Verb. Oblig. At si quis annum quid, pura est stipulatio, & statim a principio anni, vel mensis recte petitur, v. g. decem quo ad vicum, vel in annos singulos dare spondeo; §. 3. In. & l. 56. §. 4. ff. de Verb. Oblig. nam hoc casu tempus additur favore creditoris, non differende, sed multiplicanda obligationis causa. 9. Si fundum, vel hominem stipuleris, stipulatio quidem pura est, sed civiliter intelligenda, ut tradita fiat tempore commodo. §. fin. h. t. quia creditor non statim debitorem cum sacco adire debet. l. 105. ff. de Solutio. Cetera vide in textu hie, & tit. ff. de Verb. Oblig. & tit. C. de inutil. stipul.

21. **Titulus XXI. De Fidejussoribus.** In h. t. continentur materia stipulationum, quia fidejussio fit per stipulationem; etque obligatio accessoria, que omnibus obligationibus principalibus accedere potest ex hoc, ut creditoribus diligentiis cautum sit. Vide in Jure Can. lib. 3. tit. 22.

22. **Titulus XXII. De litterarum obligationibus.** In h. t. agitur de tertia specie contractuum, seu de contractu chirographario, qui fere in uno tantum casu fieri solet, dum quis in chirographo constituit, se numeratam pecuniam accepisse, quam tamen non accepit. Ex hoc chirographo scribens obligatur saltem mere civiliter; ei tamen succurritur per exceptionem pecunie non-numerate, quam intra biennium opponere potest. Vide in Jure Can. lib. 3. tit. 22. n. 15.

23. **Titulus XXIII. De obligationibus ex consensu.** In h. t. agitur de contractibus consensualibus in genere, ita dictis, quod solo consensu contrahantur, ut neque scriptura, neque presentia contrahentium, neque verba formalia, neque traditio rei sit necessaria; sed sufficit, quocumque modo consensus mutus explicetur. Tales contractus sunt bonæ fidei, & numerantur seqq. Emporio-venditio, locatio-conductio, societas, mandatum, de quibus agitur tituli 24. 25. 26. 27. Vide in Jure Can. lib. 3. tit. 17. & seqq.

24. **Titulus XXIV. De obligationibus ex quasi-contractu,** seu que ex quasi-contractu nascuntur. In h. t. agitur de illis obligationibus, que ex præsumpto consensu oriuntur, non vero proprie ex contractu, vel delicto, cuiusmodi sunt: Negotiorum gestio, tutela, & curatela, communitas rei singularis abique societate, communitio familie hereticunde, seu hereditatis dividende, aditio hereditatis in ordine ad legata exolvenda, indebiti solutio. De quibus in Jure Can. lib. 3. tit. 22. n. 23.

25. **Titulus XXIX. Per quas personas nobis obligatio acquiritur.** A regula generali, secundum quam quisque sibi acquirit, excipiuntur persone potestati subiectæ, per quas nobis obligatio, & actio acquiritur: & quidem 1. Quod per servos acquiritur, totum nostrum est; quod vero acquiritur per liberos in potestate patria constitutos, attenditur ratio peculii, juxta dicta supra tit. per quas pers. cujusque acq. 2. Servi fructuarii, alieni, & liberi homines, quos bona fidei pro servis nostris possidemus, acquirunt nobis obligationem tantum ex duabus causis, scilicet ex operis suis, & re nostra. 3. Servus communis communiter utrique domino acquirit, nisi specialiter iustus, vel nomine unius stipuletur. h. t. 4. Persona extranea, uti procurator, licet nobis res acquirat, non tamen obligationes, seu actiones. saltem directas, ut dictum supra cit. tit.

26. **Titulus XXX. Quibus modis tollitur obligatio.** Absolutis modis, quibus obligatio contrahitur ex contractibus, vel quali, in h. t. ponuntur modi, quibus obligatio distrahitur, seu tollitur: cuiusmodi principales sunt Solutio, acceptilatio, novatio, minus confensus, & alii, de quibus in Jure Can. lib. 3. tit. 23. IN-

INSTITUTIONUM CIVICO-CANONICARUM LIBER QUARTUS.

De Actionibus.



Principale objectum materiale hujus libri sunt Actiones tam civiles, quam criminales: prius tamen quam de iis agat Imperator, præmittit quedam delicta privata, & quasi-delicta, ex quibus obligatio contrahitur. Cum vero de his agan in Jure Can. hic tantum nomina cotum insinuo.

1. **Titulus I. De obligationibus, que ex delictis nascuntur.** Rubrica ista est una ex illis, que sunt strictiores nigro, seu textu supposito, cum in h. t. agatur non tantum de delictis in genere, sed etiam de furto in specie. Quamvis autem delictum theologice committi possit solo consensu; juridice tamen non censetur committi, nisi prorumpat in actum exteriorem sensibilem; & ideo Imp. pr. h. t. dicit, obligationes ex maleficio, & quasi, unius generis esse, puta summi: nam omnes ex re nascuntur, id est, ex ipsa maleficio, veluti ex furto, rapina &c. Furtum est contractio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel usus, aut possessionis: adeoque furtum committitur, si quis invito domino dolose rem ejus auferat, vel ea utatur, vel possessionem ejus retineat. Pena furti manifesti, in quo fur deprehenditur, est quadruplum; & furti nec manifesti, in quo fur non deprehenditur, est duplum. Vide in Jure Can. l. 5. tit. 18.

2. **Titulus II. De Vi bonorum raptorum.** In h. t. agitur de rapina delicto, cujus pena, est triplum. Vide in Jure Can. lib. 5. tit. 17. n. 5.

3. **Titulus III. De Lege Aquilia.** In h. t. agitur de damno dato per dolum, culpam latam, levem, aut levissimam; ut si quis sine ullo suo commodo servum alienum, aut pecudem occidat, ades succendat, vel aliud quid rumpat, frangat, adurat. Vide in Jure Can. lib. 5. tit. 36. a n. 15.

4. **Titulus IV. De Injuriis.** In h. t. agitur de delicto contumelie, seu injurie specialiter sumptæ, dum quis alium inhonorat vel verbo reali, illum sustibus credendo, verberando, vel factis aut scriptis contumeliosis, dicendo illum esse adulterum, furem &c. Vide in Jure Can. lib. 5. tit. 36. a n. 1.

5. **Titulus V. De Obligationibus, que ex quasi-delicto nascuntur.** In h. t. enumerantur quasi-delicta, scilicet imperitia, & imprudentia iudicis male judicantis, quasi delictum effusio, despectus, suspensio, exercitio navis, caupona, & stabuli malis hominibus, & in suo officio delinquentibus utentis. Vide in Jure Can. lib. 5. tit. 36. a n. 31.

TITULUS VI.

De Actionibus.

Hic incipit tractatio de tertio objecto materiali Juris; scilicet de Actionibus per totum fere Jus vagantibus. Cum vero notitia Actionum sit summe utilis, & necessaria, paulo fusius de illis agam; ita tamen, ut a methodo doctrinaliter scribendi non recedam.

§. I.

Tabula Generalis Actionum.

1. 1. Actio ex parte materia dividitur in realem, que oritur ex jure in re; uti est reivindicatio pro rebus corporalibus; actio confessoria, & negatoria pro incorporalibus; publiciana; rescissoria; serviana, & quasi-serviana, seu hypothecaria; & personalem, seu con-

ditionem, que oritur ex contractu, vel quasi, ex delicto, vel quasi; uti sunt omnes actiones ex contractibus, & delictis descendentes.

2. 2. Actio ex parte cause efficientis dividitur in civilem, & pratoriam §. 3. h. t. Civilis est, que descendit ex aliqua specie Juris civilis, puta ex legibus, vel Senatus Consultis, Plebiscitis, Constitutionibus Principum, vel Responsis Prædum. Prætorie, seu honorarie est, que descendit ex Jure pratorio, seu ex Edictis Magistratum. Sub civili continentur reales, rei-vindicatio, confessoria, negatoria, & plurimæ personales ex contractibus, & delictis. Sub prætorie continentur quinque reales: publiciana, rescissoria, pauliana, serviana, & quasi-serviana. §. 4. 5. 6. 7. 8. h. t. Personales de constantia pecunie, de peculio, in factum ex jurejurando, penales de albo corrupto, in factum ex edicto: ne quis parentem, vel patronum in jus vocet, & in factum ex edicto: ne quis vi extimat eum, qui in jus vocatur est: prejudiciales in causali-beratis inter dominum, & servum, in causa ingenuitatis inter patronum, & liberum, in causa agnoscendi patris inter patrem, & filium. Ex his patet, quod Prætor vi sue jurisdictionis concedat actiones reales, personales, penales, & prejudiciales, ut docet Imp. a §. 5. usque ad 13. h. t.

3. 3. Actio ex causa finali dividitur in persecutoriam rei, persecutoriam pena, & persecutoriam rei, & pena simul, seu mixtam. Sub persecutoria rei continentur omnes reales, tres prejudiciales, omnes personales civiles, excepta actione depositi, que in uno casu ruine, incendii &c. est mixta. §. 17. h. t. Sub persecutoria pena tantum continetur actio furti manifesti in quadruplum, & nec-manifesti in duplum pure pena. §. 18. h. t. Sub mixta continentur: actio vi bonorum raptorum, in simplum rei, & triplum pena; L. Aquilia contra infancientem in duplum, & contra consistentem in simplum cum modica pena ex c. 1. & 3. L. Aquil. Actio ex restamento in duplum contra heredem, qui vel negat aliquid relictum esse venerabilibus locis, vel non vult id dare, nisi provocatus ad iudicium. Ita hæc tradit Imp. a §. 16. usque ad 19. h. t.

4. 4. Actio dividitur in puram realem, & puram personalem, & mixtam ex utraque, que partim in rem, partim in personam dirigitur. §. 20. h. t. cuiusmodi sunt petitio hereditatis, familia hereticunde, communi dividendo, finium regundorum. Ubi advertet hic actionem mixtam alio sensu accipi, quam §. 16. & 19. h. t. nam hic in §. 20. accipitur actio mixta ex reali, & personali, ibi vero in §. 16. & 19. accipitur actio mixta ex persecutoria rei, & pena. An vero inter actionem realem, & personalem mediet actio mixta substantialiter diversa, dicam seq. §. 2.

5. 5. Actio ex parte quantitatis, seu modi dividitur in actionem simpli, seu simplicem, qua simplum rei petitur; uti ex stipulatione, mutuo, vendito &c. Dupli, seu duplarem; uti est furti nec manifesti, L. Aquilia contra infancientem, depositi tempore ruina; vel incendii, servi corrupti, legati venerabilibus locis relicti. Tripli, seu triplarem; uti est conditio de sportulis majoribus. Quadrupli, seu quadruplarem; uti sunt furti manifesti, quod metus causa, calumnie ex edicto Prætoris, conditio ex lege contra executores. Ita Imp. §. 21. usque ad 27. h. t.

6. 6. Actio ex parte qualitatatis dividitur in actiones bonæ fidei, & stricti juris. Bonæ fidei enumerantur §. 28. h. t. ex empto, vendito &c. ceteræ omnes sunt stricti juris; ut vindicatio, conditio certi ex mutuo, conditio indebiti, actio ex stipulatu, testamento. Itaque

facium regundorum, actiones in factum ex interdiciis, actiones penales ex delictis, actiones ex donatione, & aliis contractibus unilateralibus. §. 28. 29. 30. h. t.

7. 7. Actio ex modo condemnandi dividitur in arbitriam, & non-arbitriam. In illa, non in illa permittitur Judicij arbitriari per interlocutoriam, antequam condemnent per definitivam secundum rigorem Juris. Arbitrariae sunt: publiciana, serviana, quasi serviana, quod metus causa, de dolo, de eo, quod certo loco, ad exhibendum, noxalis ex delicto servi §. 31. h. t.

8. 8. Actio ex parte effectus, alia est in solidum, seu persecutoria solidi, aut totius debiti; alia in non-solidum, seu persecutoria minoris; ut de peculio, actio contra eos, qui gaudent beneficio competentiae, vel qui opponunt compensationem, vel bonis cessantur. Ita §. 26. usque ad 40. h. t. Haec sunt divisiones actionum, quae in h. t. traduntur: ceterae ex aliis titulis eruentur erunt.

9. 9. Actio ex modo obligandi dividitur in directam, seu principalem, dum quis ratione propria personae contrahens, aut delinquentis obligatur; uti ordinario accidit: & indirectam, obligam, seu accessariam, aut adjektivam; dum quis ratione personae alterius obligatur: cuiusmodi sunt ex contractu; quod iustus, executoria, infortioria, tributoria, de peculio, de in rem verso, de quibus seq. tit. 7. & ex maleficio noxalis tit. 8. quadruplaria tit. 9. item actio effusi, dejecti, suspensi, de dolo, aut furio contra executores navis, cauponae, aut stabuli, de quibus supra hoc libro tit. 5.

10. 10. Actio ex modo durationis, & transmissio- nis dividitur in perpetuam, & temporalem, transitoriam, & non-transitoriam ad, vel in haeredes, de quibus infra tit. 12.

11. 11. Actio ex consideratione legis dividitur in directam, quae defenditur ex verbis legis; utilem, quae datur ex interpretatione, & ratione legis, & actionem in factum, quae neque ex verbis neque ex interpretatione legis datur, sed ex quadam aequitate conformi legi. §. fin. In. de L. Aquil. Saepè tamen in hoc sensu actio utilis, & in factum confunditur etiam in Jure; ut patet ex §. fin. In. de L. Aquil. ubi causam mortis datur dicitur teneri nisi actione L. Aquilae, & h. 7. §. 6. l. 9. pr. & §. 2. 3. ff. ead. dicitur teneri actione in factum. Alio sensu dicitur actio in factum, prout opponitur actioni nominatae, quae proprio nomine in Jure habet; & ita omnis actio proprio nomine in Jure carens, dici solet in factum, sicut ex contractibus innotantur in Sec.

12. 12. Actio ex reciproco respectu contrahentium dividitur in directam, quae datur contra illum, qui per se, & principaliter obligatur ex contractu; & contrariam, quae datur contra illum, qui secundario, & per accidens obligatur. Sic ex commodato directa actio datur commodanti contra commodatarium; contraria vero datur commodatario contra commodantem, si quid in rem commodatam expendere debuit. Tales actiones etiam sunt depositi, mandati, negotiorum gestorum, pignoratitia, tutela, cura.

13. 13. Actio ex parte rei petitio dividitur in universalem, quae res universa petitur v. g. titulo successione ex testamento, ab intestato, arrogationis &c. & generalem, quae res plures diversae, attamen sine unitate petuntur; ut actio negotiorum gestorum, tutela, pro socio &c. & singularem, quae res una petitur; ut haec domus.

14. 14. Actio ex ordine, & modo agendi dividitur in principalem, quae per se deducitur in iudicium; preparatoriam, quae sternit viam ad principalem, sicut actio ad exhibendum est preparatoria ad vindicationem; & incidentem, quae intra iudicium ratione causae principalis incidit, seu emergit.

15. 15. Actio ex radice sua, seu fundamento dividitur in nativam, quae nascitur ex materia, seu obligatione praesistente; & dativam, quae licet strictam causam, & obligationem non habeat, tamen obaequitate, aut consuetudinem datur a lege, vel Praetore. Quotiescunque igitur lex, aut canon aliquam actionem concedit, neque nomen ejus exprimit, est actio dativa, seu conditio ex tati lege, aut canone; ut conditio ex l. 8. si unquam. C. de revocand. donat. conditio ex c. 18. sepe. de restitu. spoliat.

16. 16. Actio ex fine dividitur in civilem, quae sive ex contractu, sive ex delicto, sive ex alio titulo agitur civiliter ad privatum commodum actoris; & criminalem, quae tantum ex delicto agitur criminaliter ad vindictam publicam, seu ad poenam corporalem, vel pecuniariam Fisco applicandam; & haec actio vocatur accusatio.

17. 17. Praeterea actio dividi potest omnibus modis, quibus dividitur iudicium; quae de re vide in Jur. Can. lib. 2. tit. 1. Haec divisiones summarie hic attuli, ut quoddam generale systema actionum conspiceretur, & facilius esset transitus ad specificationem actionum tractationem.

§. II.

De Natura, & prima Divisione Actionum.

18. Q. I. Quid sit actio in genere? Re. est jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur pr. h. t. Dicitur 1. jus, hoc est potestas legitima a Jure concessa: cum enim actio non sit res corporalis, recte numeratur inter jura, seu res incorporeales. Dicitur 2. persequendi in iudicio, per modum differentiae ab aliis juri- bus: nam dominium est jus disponendi de re; usufructus est jus utendi-fruendi; hereditas est jus succedendi in bonis defuncti &c. sola autem actio est jus persequendi in iudicio, seu jus insistendi apud Judicem pro eo, quod petitur, ne quis sibi debitum propria auctoritate extorqueat contra h. 7. C. unde vi. Dicitur 3. quod debetur: ubi verbum debetur accipitur in ampla significatione, non tantum pro eo, quod debetur, & nostrum non est; sed etiam pro eo, quod quidem nostrum est; attamen debetur nobis quo ad possessionem, & detentionem; sicut in rei-vindicatione: sicut enim Ulp. l. 178. §. fin. ff. de Verb. Sign. ait: Hoc verbum debetur omnem omnino actionem comprehendere intelligitur. Ex quo patet hic definiti non tantum actionem personalem, quae persequitur debitum juris, ut nostrum fiat, sed actionem in genere, prout convenit reali, & personali, atque abstractae a debito juris, & facti.

19. Q. II. An actio adequata dividatur in realem, & personalem? Re. affirmative ex §. 1. h. t. Omnium autem actionum summa divisio in duo genera deducitur: aut enim in rem sunt, aut in personam. Ratio est in textu posita: nam vel agimus contra eum, qui nobis jure obligatus est, seu tenetur nobis obligatione ex contractu, aut delicto; & sic datur actio personalis, ita dicta, quod sequatur personam obligati, sicut lepra prosumo: vel agimus contra eum, qui nullo jure nobis obligatus est; movet tamen nobis controversiam possidendo, aut detinendo rem nostram; & sic datur actio realis, ita dicta, quod rem sequatur, persona non attendit: alius vero modus agendi, qui ab his duobus sit substantialiter diversus, non est assignabilis; ergo divisio ista est adequata. Dices: Quatuor in Jure enumerantur genera actionum: Actio pure realis, pure personalis, actio mixta ex utraque §. 20. h. t. actio personalis in rem scripta l. 9. §. fin. ff. quod met. caus. l. 3. §. 3. ff. ad exhibend. Re. cetera membra actionum non constitunt diversitates substantialem, sed accidentalem: nam actiones mixtae in rem, & personam: ubi petitio hereditatis, familiae hereticum, de communi dividundo, & finium regundorum, per se, & principaliter sunt reales; licet quandoque, & per accidens eis admisceatur aliquid de actione personali, si concurrant praestations personales cum ipsa re solvendae. Actiones in rem scriptae sunt per se personales; ut actio quod metus causa. §. 31. v. in personam h. t. & actio ad exhibendum cit. l. 3. §. 3. ff. ad exhib. Similiter interdicha re ipsa sunt personalia, etsi in rem concepta; ut suis locis dicitur.

20. Q. III. Quid sit actio realis, & personalis? Re. 1. Realis est jus persequendi in iudicio id, quod nostrum est, ab alio tamen possessum, aut detentum. arg. §. 1. h. t. fundatur enim haec actio in jure reali; ut est dominium, usufructus, servitus, pignus &c. Sit casus: equus meus a me profugus detinetur apud te; usufructus mihi constituitur in tuo praedio denegatur mihi a te: quare qua actione te conveniam pro restituendo equo, & relinquendo usufructu? Re. actione reali; quia in utroque casu actio nascitur ex jure reali.

21. Re. 2. Actio personalis est jus in iudicio persequendi id, quod alter nobis debet ex contractu, vel delicto. arg. §. 1. h. t. fundatur enim haec actio non in ipsa re, sed in persona nobis obligata. Sit casus: Emi a te equum pecunia numerata, quem mihi non tradidisti; vel facta stipulatione promissisti mihi usufructum in tuo praedio: quare qua actione te conveniam pro equo tradendo, vel usufructu realiter constituendo? Re. actione personali; quia in utroque casu actio oritur ex obligatione contractus. Similiter si equum meum vulnerasti, aedes meas incendisti, conveniam te actione personali ad delicto. De jure reali, & personali recole, quae docui supra.

22. Q. IV. In quibus differant actio realis, & personalis? Re. in nomine, causa, modo proponendi, & petendi: nam actio personalis est stricte actio, seu conditio; fundatur in titulo, seu causa specifica contractus, aut maleficii; proponitur cum medio determinata, & specificae obligationis v. g. ex empto, locato, eaque petitur, ut reus condempnatur aliquid dandum, vel sciendum, prout obligatus est: contra actio realis vocatur petitio l. 178. §. 2. ff. de Verb. Sign. fundatur in jure reali; proponitur cum medio proximo v. g. ex titulo domini, non assignando causam remotam, ex qua dominium questum est; & illa petitur, ut actor declaretur dominus rei, & conf. res ei ab alio possessa, vel detenta, restituatur. Manz. hic §. 1. a. n. 29.

§. III.

De Actionibus Realiibus tam Civilibus, quam Praetoriis.

23. A ctiones reales civiles sunt tres: Reivindicatio, Confessoria, & Negatoria. Reales praetoriae sunt quatuor, vel potius quinque: Publiciana, Reissoria, Pauliana, Serviana, & Quasi-Serviana. Quae in his, & aliis actionibus inquirenda veniunt, postrema sunt: quid sit, cui, contra quem, & ad quid competat actio?

24. Q. I. Quid sit Rei-vindicatio? cui? contra quem? & ad quid competat? Re. 1. Vindicatio est actio realis, qua rem nostram ab alio possessam, vel detentam petimus. l. 25. pr. ff. de O. & A. nam vindicare idem est, ac sum ab alio petere. Qualitates huius actionis sunt: quod sit civilis; quae legitimam causam habet, seu descendit ex Jure civili XII. Tab. Reipersonaria, quia per illam res nostra petitur. Simpliciter, seu in simplicum; quia ultra simplicum rei, plus illa non petitur. Stricti juris; quia §. 28. h. t. non numeratur inter actiones bonae fidei. Excepto DD. usu dividitur in directam, quae descendit ex verbis legis; & utilem, quae descendit ex interpretatione legis.

25. Re. ad 2. Vindicatio competit domino rei, cui proinde tanquam actori incumbit probatio domini ex modis acquirendi, per testes, instrumenta, praesumptiones, indicia, usufrucationem, publicam famam. Bald. Directa competit domino proprietatis, qui Jure-gentium, aut civili est dominus l. 23. ff. de Rev. V. ubi plura exempla reperies. Utiles competit domino utilli, seu habenti dominium utile in re; ut est vastallus, & emphyteuta. l. 1. in fin. ff. si ager velitig.

26. Re. ad 3. Vindicatio competit adversus possidentem. l. 25. pr. ff. de O. & A. ibi semper adversus eum est, qui rem possidet. Et quidem datur 1. contra eum, qui vere possidet sive civiliter, sive naturaliter. l. 9. ff. de Rev. V. 2. contra eum, qui possidet de facto tantum, seu pure detinet rem, & restituendi habet facultatem; ut commodatarius, depositarius, conductor, existens in possessione rei servandae causa. cit. l. 9. in fin. Sed hi detentores evitare possunt iudicium, laudando dominum commodantem, deponentem &c. l. 2. C. ubi in rem actio. 3. Contra eum, qui dolo desit possidere, hoc est, qui ex metu intentandae vindicationis rem data opera alienavit, ne apud se reperiretur. l. 27. §. 3. ff. de Rev. V. nam paria sunt possidere, & dolo desisse possidere; cum dolum rem ipsam repraesentent. l. 131. ff. de Reg. Jur.

27. Re. ad 4. Vindicatio competit ad petendam rem suam corporalem, sive sit mobilis, aut se movens, si P. Remigii a S. Erasmo. Pars I.

ve immobilis soli, sive res singulae, sive universitates facti; sicut grex ovium; ita ut actor declaretur dominus, eique res petita tanquam sua restituatur. l. 1. §. 2. l. 23. per tot. ff. de Rev. V. Fructus autem rei in hac actione non veniunt, nisi nominatim petantur, vel accessorie cum vindicatione, vel implorato officio Judicis, vel conditione sine causa. l. 17. §. 1. ff. l. 5. & 12. C. de Rev. V. l. 25. §. 8. ff. de Edil. edit. in quo vindicatio notabiliter differt ab hereditatis petitione, in quam fructus veniunt, etsi nominatim non petantur; cum fructus augeant hereditatem. l. 1. C. de petit. hered. E contra in hac actione non veniunt res incorporeales, universitates juris; ut est hereditas, tignum alienis aedibus junctum, liberar persona, aget militibus assignatus, peculium; cum pro his speciales actiones prodita sint. Ceterum, quia probatio domini est difficillima, ideo Jure Consulutus l. 24. ff. de Rev. V. suadet non intentari vindicationem, si quis aliquo invidio possit nancisci possessionem; quia longe commodius est ipsum possidere, & adversarium ad onera petitoris compellere, quam alio possidente petere. De hac actione varios casus vide cit. ff. & C. de Rev. V.

28. Q. II. Quid sit actio confessoria, & negatoria? cui? contra quem? & ad quid competat? Re. 1. Confessoria est actio realis, qua petitur res incorporalis, tanquam nostra. arg. §. 2. h. t. Dicitur confessoria, quia actor constituitur, seu asserit sibi competere jus reale in realia; etsi id verbis negativis exprimat, v. g. nego Titium aedes alius tollere posse; quod idem est, ac dicere: assero in aedibus Titii mihi competere servitutem alius non tollendi. Negatoria est actio realis, qua negamus alicui competere jus aliquod in re nostra, sive id negativis, sive affirmativis verbis exprimitur. v. g. assero me posse aedes alius tollere; vel nego vicino meo in aedibus meis competere jus, seu servitutem alius non tollendi. Qualitates harum actionum sunt eadem, quae vindicationis, ut dictum n. 24.

29. Re. ad 2. Confessoria competit ei, qui pretendit jus aliquod in re aliena; & conf. jus istud reale sibi fuisse acquisitum legitime probare debet. Directa datur pro vindicando servitutibus, & usufructu; cum lex de istis expresse loquatur §. 2. h. t. in. ff. si ususfr. petatur. & in. ff. si servitus vindicetur. Utiles vero ex interpretatione horum Jurium datur pro vindicandis aliis juriibus; ut pro jure fodiendi arenam, venandi, piscandi in alieno, pro jure parochiae, praeturae, jurisdictionis &c. 2. Negatoria competit ei, qui pretendit rem suam liberam esse a servitute, & jure alterius; & quidem directa datur dominio proprietatis; utilis vero dominio habenti dominium utile. Item directa datur pro negando usufructu, & servitute, ut dictum de confessoria; utilis vero pro negandis aliis juriibus; ut jure parochiae, jurisdictionis, venandi, ligandi &c.

30. Re. ad 3. Confessoria datur contra dominum praedii servientis, & queneunque extraneum, qui in usu servitutis, vel alterius juri impedit; ut etiam fructuario contra dominum non patientem utitui l. 5. §. 1. ff. si ususfr. petat. ne tamen servitus servitutis constituitur, fructuario contra dominum, vel extraneum directe non vindicatur servitutes praediales, sed indirecte, & in consequentiam, quatenus vindicando usufructum, vindicatur etiam cetera jura ad usufructum pertinentia: quo sensu procedit l. 1. pr. l. 5. §. 1. ff. si ususfr. petat. 2. Negatoria datur contra eum, qui in re nostra pretendit servitutem, vel aliud jus; vel alter juriibus istis utitur, quam fuerit constitutum. l. 2. 4. §. 14. ff. si servitus vind. In qua actione negatoria actor regulariter relevatur ab onere probandi; quia Jus praesumitur quamlibet rem esse liberam, donec probetur servituti obnoxia l. 8. C. de Servit. adeoque reus, qui pretendit jus in re aliena, probare debet illud legitime sibi acquisitum fuisse, nisi reus esset in notoria quasi-possessione servitutis; tunc enim, priori praesumptione elisa, actor probare debet fundum suum esse liberum a servitute. Alciat. Mafcard.

31. Re. ad 4. Confessoria datur ad hoc, ut actor declaretur praesentium jus in re habere, & reus condemnatur ad cessandum ab impedimento fructus, atque interesse compensandum l. 2. §. 5. & fin. ff. si ususfr. petat. Negatoria vero datur ad hoc, ut vindicetur libertas

tas rei nostrae, seu ut delectetur fundum actoris liberum esse a servitute, & iure alieno. Vide *tit. iij. ff. si usufr. potat. & tit. ff. si servit. vindic.*

32. Q. III. Quid sit actio publiciana cui? contra quem? & ad quid competat? R. i. Publiciana est actio realis, qua res bona fide, & iusto titulo a non domino accepta, & nondum usucapta petitur ab illo, qui eam possidet, vel detinet. *arg. §. 4. h. r.* Actio ista est *prætoria* a Publicio Prætoris introducta ob equitatem; quia in tali casu, quo res necdum usucapta ab altero detinetur, æquum est concedere actionem pro illa repetenda. *tit. §. 4. h. r.*

33. R. ad 2. Publiciana datur quasi domino, qui rem non usucaptam casu amisit; quatenus a iure fingitur eam usucapisse, atque ita ius reale domini acquisivisse; vi cuius actionem realem intentare possit, *ibid.* An vero publiciana concedi possit vero domino, saltem pro casu, quo probatio domini est difficilis, controvertunt DD. Affirmativam satis probabilem defendendo in meis *Disp. Jurid. Disp. 18. Controv. 3.* ubi eam cumulari posse cum reivindicacione assero. Necessesse autem est ex parte actoris, ut rem istam bona fide, & ex iusta causa accepit, seu cum habili titulo ad acquirendum dominium; uti est titulus empti, donati, dotis, legati &c. *ibid.*

34. R. ad 3. Publiciana datur contra possidentem, aut detinentem absque titulo *l. fin. ff. de Publician. in rem act.* At contra dominum verum, aut contra titulo possidentem regulariter non datur: nam titulo possidens, præter titulum, in quo par est actori, insuper habet possessionem; conditio autem possidentis est potior. *reg. 65. in 6.*

35. R. ad 4. Publiciana datur ad perfectionem rei non usucapte, ut restituatur, ac si fuisset vere usucapta; seu dominio actoris quaesita. De hac actione vide *tit. ff. de Public. act.*

36. Q. IV. Quid sit actio rescissoria? cui? contra quem? & ad quid competat? R. i. Rescissoria est actio prætoria, per quam rescissa usucapione petitur res ab alio usucapta, acsi nunquam usucapta fuisset. *arg. §. 5. h. r.* Hæc actio est superiori & diametro contraria; & ideo vocatur *quasi*, vel potius *anti-publiciana*; nam sicut publiciana usucapionem nondum completam adjuvat, & fingit eam intervenisse; ita rescissoria usucapionem completam dissolvit, & fingit eam non intervenisse. Quamvis autem actio ista numeretur inter reales, quia frequentius datur pro rebus usucaptis repetendis; si tamen datur pro rescindenda usucapione obligationis, & actionis personalis, erit omnino personalis; cum sit accessoria, atque ita sequatur naturam actionis principalis, sive realis, sive personalis.

37. 2. Quidam DD. duas hic distinguunt actiones: *remedium rescindens*, quo usucapio completa tollitur; & *remedium rescissorium*, seu *restitutivum*, quo remota usucapione, prior actio restituitur pro vindicanda, seu repetenda re. Sed melior sententia tenet unicam esse actionem, cuius duo sunt actus, seu munera: *rescindere usucapionem*, & *restituere priorem actionem*; nam hoc ipso quod concedatur restitutio in integrum adversus usucapionem, tacite, & re ipsa rescinditur usucapio. *l. 9. §. 7. ff. quod met. caus. l. 28. C. de postlim. revers.*

38. R. ad 2. & 3. Rescissoria competit domino rei præsentis contra absentem; dummodo præsens non habuerit facultatem conveniendi absentem; absentem contra præsentem, & absentem absentem; dummodo absentia fuerit necessaria, & probabilis v. g. in causa Reipublicæ: voluntaria vero absentia regulariter non procedit. *§. 5. h. r. l. 21. §. 2. l. 22. 28. & fin. ff. ex quib. caus. major.* Necessesse autem est, ut, cessante impedimento, actio ista, olim intra unum annum utilem, hodie de iure novo *l. fin. C. de temp. in integr. restitut.* intra quadriennium intentetur secundum dicta in *Jur. Can. l. 1. tit. 41. n. 15.* nam licet alie actiones prætorie regulariter sint annales; tamen rescissoria restitutioni in integrum annexa, huius naturam sequitur, & intra quadriennium proponi potest.

39. R. ad 4. Rescissoria datur primo ad tollendam usucapionem; & secundo ad restituendam priorem actionem, qua res ex titulo domini vindicatur. Porro actio ista, seu vindicatio restituta, non est in rigore dire-

ctæ, sed utilis; quia non descendit ex iure civili, sed prætorio: in quo casu Prætor partim corrigat, partim supplet ius civile. Vide de hac actione *tit. ff. ex quib. caus. mai. tit. C. quib. ex caus. mai.*

40. Q. V. Quid sit actio pauliana? cui? contra quem? & ad quid competat? R. i. Pauliana est actio realis prætoris, qua revocantur omnia a debitoribus in fraudem creditorum alienata. *arg. §. 6. h. r.* Introducta est a Paulo Prætoris ob equitatem, ne conditores defraudentur. Licet autem DD. merito dubitent, an actio ista sit realis, an personalis pura, vel in rem scripta; recte tamen dicitur realis; quia bona alienata fitione iuris censentur remansisse in bonis debitoris, cuius nomine creditores illa revocant, & vindicant, acsi alienata non fuissent.

41. R. ad 2. Pauliana generaliter competit creditoribus, quibus debitor obligatus est ex contractu, aut delicto. *l. 10. & seq. ff. de Verb. Sign. l. 1. 2. 3. ff. que in fraud. cred.* Debent autem actionem istam, utpote prætoriam, intentare intra unum annum utilem *l. 1. ff. que in fraud. cred.* qui annus probabilibus computari incipit a die factæ executionis, quo ex decreto prætoris bona debitoris venduntur; quo sensu explicatur *l. 10. §. 18. l. fin. ff. eod.* nisi alienatio facta sit titulo lucrativo; tunc enim revocatio est perpetua, seu 30. annis durans *tit. l. 10. §. 24.* Si vero alienatio facta est in rebus incorporalibus; ut iuribus, & obligationibus, revocatio durat tanto tempore, quanto actio durasset. *ibid. §. 23.* quia in fraudem alterius non est savendum lucris: 2. Quia fraus non presumitur, creditores obligantur probare alienationem fuisse fraudulentam; & quidem in ultima voluntate sufficit sola fraus eventus, seu re ipsa, dum residua bona debitoris non sufficiunt creditoribus: nam ex ultima voluntate nihil debetur, nisi deducto aere alieno. *l. 2. §. 1. ff. si quis in fraud. patr. At si alienatio facta sit actu inter vivos, copulative probari debet fraus consilii, quod debitor perverso animo ad creditores fraudandos alienaverit; & simul fraus eventus, quod reliqua bona non sufficiant. l. 10. §. 1. ff. que in fraud. cred.* Dicunt tamen aliqui ad revocandas alienationes lucrativas sufficere probate fraudem eventus, cum creditores certent de damno vitando.

42. R. ad 3. Pauliana datur: 1. contra debitorem fraudulose alienantem. 2. Contra possessorem, qui alienata titulo lucrativo per donationem accepit; sive fuerit fraudis conscius, sive non. *l. 6. §. 11. ff. d. t. quia donatarius certat de lucro captando; & creditores de damno vitando. 3. Contra possessorem, qui conscius fraudis titulo oneroso alienata accepit. l. 10. §. 1. 2. eod.* quia dolus ei patrocinari non debet. Non tamen contra possessorem, qui bona fide, & titulo oneroso alienata accepit, v. g. per emptionem; cum huius bona fide possidentis melior sit conditio, quam creditorum. *tit. l. 10. §. 2. 4.*

43. R. ad 4. Pauliana datur ad revocanda quæcumque bona alienata mobilia, vel immobilia; corporalia, vel incorporalia; uti iura, & nomina: item ad fructus restituendos illos tantum, qui tempore alienationis terræ coheserunt, & qui post litem contestatam percepti sunt. *l. fin. §. 4. cum seq. ff. d. t. non vero qui medio tempore percepti sunt; quia hi non erant in bonis debitoris. Secus est in vindicacione, ubi res vindicata semper fuit in bonis domini; adeoque semper ei fructificavit. Vide de hac actione *tit. ff. que in fraud. creditor. & tit. C. de revocand. que in fraud.**

44. Hic adverte actionibus revocatoriis accesseri, & paulianæ similes esse: *Favianam, Quasi-Favianam, & Calvisianam.* Favianam est, que datur patrono pro revocandis bonis liberi actu inter vivos, vel ultima voluntate in fraudem patroni alienatis; ut scilicet patronus minus tertia parte haberet. *Quasi-Favianam* est, que datur arrogato ad revocandum id, quod in fraudem eius pater adoptivus alienavit; ne iustam quartam consequeretur. *Calvisiana* est, qua sive creditoribus, sive patroni revocare possunt alienationes in fraudem eorum factas: adeoque sit actio ista intentetur a creditoribus, similis est paulianæ; si a patronis, similis est favianæ. De his vide *tit. ff. si quis in fraud. Patron. & tit. C. si in fraud. Patroni.*

45. Q. VI. Quid sit actio Serviana? cui? contra quem?

quem? & ad quid competat? R. i. Serviana est actio realis prætoris a Servio Prætoris introducta, per quam res in prædium illatæ investitæ, in prædium locatoris alienata, revocantur. *arg. §. 7. h. r.* Nam tales res pro mercede sunt tacite hypothecate locatoris. *l. 2. 4. ff. in quib. caus. pign.* ergo sine consensu locatoris, in ejus præjudicium alienari non debent.

R. ad 2. Serviana competit locatori prædii urbaniani vero competit locatori prædii rustici, controvertunt DD. alii negant ex *tit. lib. 4. ubi Neratius ait: Eo iure utimur, ut que in prædia urbana inducuntur illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite convenierit; in rusticis prædiis contra observatur;* nam locatori prædii rustici ipsi fructus agrorum tacite obligantur pro mercede *l. 7. ff. in quib. caus. pign.* ergo atata, ligones, & alia instrumenta rustica non censentur pignorate locatori, nisi per expresse conventionem hypothecentur. Sed probabilis affirmant alii ex *l. 3. 4. in fin. eod. & §. 7. h. r.* ubi actio ista conceditur de rebus colatis; huic autem locatur prædium rusticum. Id vero, quod contra observatur in rusticis prædiis, est, quia res rusticae non censentur tacite pignorate, nisi, sciente, & volente domino, illatæ sint in prædium rusticum *l. 5. C. de locato.* E contra illata in prædium urbanum, censentur tacite pignorate, licet locator nihil de illis sciverit.

46. R. ad 3. Serviana datur contra conductorem, seu inquilinum prædii urbaniani, & colonum prædii rustici; eoque excessu, & mercedem cum reparatione damnum solvere non valente, contra quemcumque possessorem, in quem res illata alienate sunt: nam actio ista est realis; adeoque sequitur rem apud quemcumque possessorem repetitam. *Auth. hoc si debitor. C. de pignori.*

47. R. ad 4. Serviana datur ad revocandas res illatas investitas in prædium, a conductore distractas non tantum post inclusionem, seu arrestationem rerum, dum locator ob moram conductoris in solvenda annua mercede committitur, curat fieri publicum instrumentum, seu inventarium bonorum conductoris *lib. 56. ff. locati*, fed etiam ante talem inclusionem; alias tunc pignus nihil operaretur. Excipitur servus, qui illatus in prædium, seu generali hypothecæ subiectus, manumitti potest ante inclusionem bonorum; idque favore libertatis. *lib. penult. ff. in quib. caus. pignori. lib. 29. ff. qui, & a quibus.* Item pecunie ad ulum quotidianum destinatae, vestes usuales, libri studiosorum, & alie res quotidiani usus. *l. 6. §. 2. ff. de pignori.* & que illata sunt in prædium, ut ibi non permanent, sed transeunt essent. At merces non censentur tacite obligate; non quidem in specie, sed in genere, quatenus alia aliis substituantur. *l. 34. ff. de pignori.* Vide de hac actione *tit. ff. in quib. caus. pignori tacite contrah.*

48. Hic adverte pro illatis investitis in prædium competere etiam interdictum salvianum *tit. ff. de Salvian. interd.* quod pignus sit serviana; quia in hac probari debet illata investita fuisse in dominio conductoris, in isto vero sufficit probare conductorem fuisse illatorum possessorem; si tamen possessio probari nequeat, necessaria est serviana. Schenid. hic *n. 67.*

49. Q. VII. Quid sit actio quasi serviana? cui? contra quem? & ad quid competat? R. i. Quasi-serviana est actio realis prætoris, qua creditor agit ad possessionem rei tacite, vel expresse hypothecate consequendam, vel ad rem pignoratam alienandam; nisi a debitor redimatur. *§. 7. h. r.* Actio ista aliter vocatur *utilis serviana*, seu *hypothecaria*, quæ, licet prætoris sit, tamen est perpetua, cum sit rei perfectioria. Differt 1. a serviana, tanquam genus a specie: nam quasi-serviana datur pro persequendis quibuscumque rebus expresse, aut tacite pignoratæ, etiam immobilibus: & contra serviana datur tantum pro persequendis mobilibus in prædium illatis. Differt 2. hypothecaria actio a pignoratitia: nam pignoratitia est personalis, & directa, competit debitori ad luendum pignus, si integrum debitum solum sit creditor; contraria vero pignoratitia competit creditori ad repetendum quod in rem pignoratam impendit: e contra hypothecaria, seu quasi-serviana est actio realis persequens rem pignoratam, ubicumque sit.

50. R. ad 2. Quasi-Serviana competit creditori P. Remigii a S. Erasmo Pars I.

cujus erit probare sibi pignus fuisse constitutum in re, remque istam tempore pignoris constituti fuisse in bonis, seu dominio debitoris. *l. 16. §. 3. ff. & l. 18. C. de pignori.* neque contra audietur debitor excipiens se non fuisse dominum rei pignorate: quia allegans propriam turpitudinem non est audiendus. *l. 21. §. 1. ff. de pignori. l. 41. ff. de pignorat. act.* Nominem creditoris venit etiam ejus heres, cessionarius, emptor hypothecæ, substitutus creditor, cui prior nomen suum hypothecavit, seu pignus pignori dedit, legatarii, & fideicommissarii, quibus res hereditas tacite pignorate sunt. Ita hæc habentur *l. 1. 2. C. si unus ex plurib. hered. tit. ff. & C. de hered. vel act. vend. toto tit. C. si pignus pignori dat. l. 1. C. comm. de legat.*

51. R. ad 3. Quasi-Serviana datur contra debitorem, ejusque heredes *l. 24. C. de pignori. l. 1. 2. C. si unus ex plurib.* & contra quemcumque tertium possessorem *l. 17. ff. & lib. 18. C. de pignori.* nam actio ista, cum sit realis, sequitur rem a quocumque possessore, utpote cum suo onere reali transeuntem; modo prius excutitur debitor principalis juxta *Auth. si debitor. C. de pignori.* Cui non obstat *Nov. 113. c. 1. §. 1.* procedit enim in casu specialis, quo debitor post litem contestatam alienavit rem hypothecatam, quæ, utpote *litigiosa*, ante omnia revocanda est.

52. R. ad 4. Quasi-Serviana datur pro quibuscumque rebus mobilibus, vel immobilibus, corporalibus, vel incorporalibus tacite, vel expresse hypothecæ subiectis, ad hoc, ut actor eas consequatur pro suo debito, vel eas retineat, vel distractas recuperando, vel alienando; servatis servandis; si debitor eas luere, seu redimere nolit.

53. Hic adverte creditori pro casu, quo probatio domini est difficilis, a multis concedi Interdictum salvianum utile; a multis negari, de quo dicam *tit. 15. n. 18.* De actione hypothecaria vide *tit. ff. & C. de pignori.* in *Jur. Can. lib. 3. tit. 21.*

Casus pro Actionibus Realibus.

54. 1. Habui duos boves, qui aberrantes profugerunt ad villam Titii, quos cum quaesividem, interim Cajus occupavit meam domum. Quæ actio boves a Titio, & domum a Cajo petere possim? R. reivindicacione fundata in titulo domini, & consequenter directa.

55. 2. Tenui feudum in villa mihi tradita, & habui vicinum agrum mihi in emphyteusim datum. Interim Titius me turbat, se in possessione hujus ville, & agri constituendo. Quæ actio exprobat contra Titium pro ista villa, & agro? R. reivindicacione, non directa, sed utilis fundata in titulo domini utilis.

56. 3. Titius ultima voluntate constituit mihi in prædio suo servitutem vie, in orto usufructum, in silva jus venandi, & acupandi; sed Cajus ejus heres non finit me libere his juribus uti. Quæ sit mihi actio contra Cajum? R. pro via, & usufructu est *confessoria directa*; pro jure venandi, & acupandi est *confessoria utilis*.

57. 4. Lucius parochus præterit usufructum in fundo capitulari, vocem activam in capitulo, sed ei resistere volunt Canonici. Quæ actio contra illum agent? R. *negatoria directa* contra usufructum, quia fundus capitularis liber est servitute usufructus; & *negatoria utilis* contra præsentiam vocem, quia Clericus extraneus nullum jus habet ad suffragandum in capitulo.

58. 5. Emi horologium a Cajo, illudque a me biennio possessum, & deinde perditum pervenit ad Titium, illud restituere nolentem quia Cajus venditor non erat dominus hujus horologii. Quæ actio horologium repetam a Titio? R. actione *Publiciana* ex titulo quasi-dominii, cum intra biennium non sit mihi quaesita usucapio horologii.

59. 6. Titius proficiens ad bellum amittit gemmam, quam reperit Cajus, questioque, & non invento Domino, ex aliorum sententia (quæ tamen non est tenenda) suo nomine illam possidet quasi derelictam. Redit Titius ex bello post 6. annos, & visitando Cajum, agnoscit gemmam suam. Quæ actio tam petere possit? R. actione *rescissoria*, ut

uscipio restituitur, & Titius in vindicationem sua gratia restituitur.

65. 7. Titius debet Cajo mille florenos, & quia facultatis lapsus aggressit se non esse solvendo, reliqua bona sua mobilia, ut vasa argentea, vestes pretiosas &c. ne ea cedere cogatur creditoribus, hinc inde distrahit, & donat. Q. qua hic competat actio Cajo? R. excusso Titio, & solvere non valente, habet Cajo actionem Paulianam, qua revocare possit res illas fraudulenter a Titio alienatas.

67. 8. Titius conducit domum Caji pro centum florenis annuis, & in eam inferi varias res, ut cistas picturas &c. quos lapsu uno. & altero anno solvete, & damna in domo facta reparare nequeat, res illas distrahit partim donando, partim vendendo. Q. qua actio competat Cajo, cum sic per actionem locati parum, vel nihil consequi possit ob inopiam conductoris? R. actio Serviana, qua illata, & distracta revertatur a quocunque possessore propter jus reale tacite hypothecae.

63. 9. Titius mille florenos mutuos accipit a Cajo, eique oppignorat fundum vulcanum; sed paulo post eundem fundum vendit Mævio, & in facultatis excusus reperitur non esse solvendo. Q. qua actio ne consultum sit Cajo? R. quasi serviana, seu hypothecaria, qua fundus alienatus revocatur, & ex illo satisfiat Cajo.

§. IV.

De Actionibus Personalibus Prætoris.

63. Tres sunt persecutoria rei: de constituto, de peculio, in factum ex iurejurando. Tres penales, quibus agitur ad poenam actori applicandam: de alio corrupto, de non vocando patre, vel patrone in ius, de non vi eximendo in jus vocato. Tres præjudiciales, quæ præjudicari, non prius discutit debent ante causam principalem: circa libertatem, libertinitatem, & de parte agnoscendo.

64. Q. I. Quid sit Actio constitutoria, seu de constituto, aut de constituto pecunia? cui? contra quem, & ad quid competat? R. I. Constitutoria est actio personalis competens creditori contra eum, qui nudo pacto constituit, seu promittit se certo die, aut loco solviturum suum, aut alienum debitum. §. 9. h. t. ut si debeas 100. ff. Titio, & promittas te illos solviturum Kalendis Maij, vel Vienna: tunc enim Titio actione constituti conveniri potes. Est actio ista perpetua, quia rei-persecutoria; & hodie cum illa commixta est actio recepticia, quæ olim dabatur pro quibuscunque rebus; actio vero constituti tantum pro fungibilibus. Dicitur autem nudo pacto quia si quis constituit stipulatione, datur ordinaria actio ex stipulatu; licet in effectu nulla sit differentia. Ex his patet cui? & contra quem datur ista actio.

65. R. 2. Actio de constituto datur ad solvendum debitum antea contractum ex quacunque causa, sive sit debitum civile, & naturale; sive tantum naturale; non vero si debitum sit mere civile l. 3. §. 1. ff. de const. pecun. quia Prætor tueri æquitatem naturalem, quæ deficit in debito pure civili. Nec obstat, quod fideiussor accedere possit obligationi pure civili §. 1. de f. dejuss. nam fideiussor est contractus Juris civilis, stipulatione factus; adeoque accedere potest obligationi civili, quam nec firmat, nec infirmat; e contra constitutum est Juris prætoris; adeoque necesse accedere illi, quod est naturaliter indebitum. Quod si debitum nullum præexistat, constitutum nullum est; sive quis sciens, sive ignorans constituit super indebito. Vide tit. ff. & C. de const. pecun.

66. Q. II. Quid sit actio de peculio? cui? contra quem? & ad quid competat? R. 1. Actio de Peculio est prætoris personalis rei persecutoria, qua creditor ex contractu servi, vel filii famuli agit contra dominum, vel patremfam. ut is solvat secundum vi res peculii, deducto eo, quod domino, vel patri debetur ex contractu post concessum peculium inito. §. 10. h. t. l. 9. §. 1. ff. de pecul. nam concessio peculio, hoc ipso conceditur potestas contrahendi, & oritur obligatio solvendi. Unde si servus emat vinum 100. ff. & in peculio habeat 100. tenetur dominus 100. dare venditori; nisi servus domino deberet v. g. 20. flor. tunc enim his

deductis, reliquum datur creditori. Vide tit. ff. de peculio. Cetera qd. ex his solvuntur.

67. Q. III. Quid sit actio in factum ex iurejurando? R. est actio personalis prætoris, qua competit facienti juramentum ab adversario delatum, vel relatum, & a Judice approbatum super re, aut debito, ad hoc ut talis res ei detur, vel debitum solvatur. §. 11. h. t. nam tale juramentum litis decisorium vim habet transactionis. Plura de hoc vide in Jure Can. lib. 2. tit. 24. ubi etiam alia Jura allegantur.

68. Q. IV. Quid sit actio de Albo corrupta? R. est actio personalis prætoris, penalis, popularis cuiuslibet de populo competens contra eum, qui publica Magistratum edicta corrupit, tollendo, lacerando, vel delendo ad poenam 50. aureorum actori applicandam. §. 12. h. t. ut scilicet hoc modo alii invitarentur ad corruptores deserendos. Hodie actio ista saltem utilis accomodari potest contra eos, qui publica Edicta in valvis Ecclesiarum, vel aliis conspicuis locis appensa corrumpunt. Fuit autem Album Prætorium tabula gypsa, in qua contrabantur Edicta Prætoris, & formulæ Actionum.

69. Q. V. Quid sit Actio ex Edicto l. 4. §. 1. ff. de in jus voc. R. est actio in factum, prætoris, penalis, competens patri contra filium, & patrono contra libertum, qui sine imperata venia Prætoris illos in jus vocant ad poenam 50. aureorum patri, vel patrono applicandam. §. 12. h. t. Hodie non est in usu, quia ille mos vocandi in jus manu injecta, & collo oborto jam exolevit.

70. Q. VI. Quid sit Actio ex Edicto expresso in rubrica ff. ne quis eum, qui in ius vocabatur, vi eximat? R. est actio prætoris penalis in factum, competens legitime citanti in jus contra eum, qui citatum, quo minus in iudicio compareat, per se, vel per alium dolo malo eximit, vel impeditur. ch. §. 12. h. t. Certa poena hic definita non est; sed impediens citatum, tantum pendere debet, quantum valet res controversa, præmissis juramento affectionis in licem. l. 5. §. 1. ff. ne quis eum.

71. Q. VII. Quid sint actiones præjudiciales circa statum privatum? R. sunt actiones prætoris, in quibus ratio status vertitur: & quidem 1. Causa libertatis est actio competens domino contra servum gerentem se pro libero: & e contra competens libero homini contra dominum tractantem eum, ut servum. §. 13. h. t. Hæc actio quo ad originem est civilis, sed legitimam causam habet. ibid. quia descendit ex L. XII. Tabul. vel ex Senatus Consulto l. 8. §. 1. ff. de libertat. caus. cum vero per varias additiones multum alterata sit a Prætoribus, solet actionibus prætoris accenseri. 2. Causa libertinitatis est actio competens patrono contra libertum gerentem se pro ingenio; & e contra competens ingenio contra patronum tractantem eum, ut libertum cit. §. 13. h. t. Neutra ista actio directa datur apud nos ob defectum servitutis: nullis vero accommodari potest dominis, & subditis, censitis, adscriptitiis, & originariis. 3. Causa de parte agnoscendo est actio prætoris competens filio contra patrem negantem se esse patrem, & competens patri contra filium negantem se esse filium. cit. §. 13. h. t. Directa adhuc hodie datur, cum duret causa paternitatis, & filiationis: nullis accomodari solet fratri contra fratrem, cognato contra cognatum, si neget se fratrem, vel cognatum esse. Hæc, & prior actio dicitur prætoris; quia circa has duas causas nihil Jus civile disposuit. Omnes tres videntur esse reales in factum confessorias, & negatorias; quia versantur circa jura realia servitutis, & domini libertatis, libertinitatis, juris patronatus, paternitatis, & filiationis. Quia vero actiones iste fundantur in quibusdam obligationibus servi ad dominum, liberti ad patronum, non male actionibus personalibus accensentur. Corvin. Vide hic Manz. In exemplo vide, quomodo actiones iste sint præjudiciales. Titius operas serviles exigit a Cajo, reverentiam libertinicum a Lucio, filialia obsequia a Mævio; sed Cajo negat se esse servum, Lucius libertum, & Mævius filium. In his casibus, ut patet, priores cause definiti non possunt, nisi præjudicentur, seu prius cognoscantur cause status tanquam præjudiciales. Plura de his vide in Jur. Can. lib. 2. tit. 10. & quæ supra dixi lib. 1. tit. 7. a n. 5.

27. Hic adverte Imperatorem post allatas actiones personales prætorias nihil agere de actionibus personalibus civilibus: tum quia inferius sub aliis divisionibus ponuntur; tum quia facile per oppositum sciuntur, & ex regula generali, qua dicitur omnis actio esse civilis, nisi reperitur a Prætoribus, vel alio Magistratu esse concessa.

Explicatur §. 14. & 15. h. t.

73. Imp. §. 14. h. t. ponit hanc regulam: Non potest actor suam rem petere sub hac forma: S. A. E. D. O. si appareat eum dare oportere, seu sub hac: A. T. M. D. O. ajo se mihi dare oportere: nam dare est dominium transferre cit. §. 14. & l. 131. §. 1. ff. de Verb. Oblig. atqui in actorem cum sit dominus rei suæ, non potest amplius dominium transferre; ergo. Ex quo tamen non inferas actione personali non posse peti rem suam; vel actionem realem, & personalem non posse concurrere in eandem rem, & personam; nam licet res sua non possit peti sub dicta formula; ut dicitur, potest tamen peti actione v. gr. commodati, depositi, locati, ut restimatur. Illa autem actio, quæ fundatur in titulo translativo deminuti secuta traditione, ut ex empto, donato, legato &c. procedit sub hac formula. A. T. M. D. O. A priori regula excipitur Conditio furiosa, qua res sua petitur sub dicta formula; quia odio furum Jus fingit rem furto sublatam transivisse in dominium suum; atque ita dominus non tenetur probare dominium rei. Vide hic Manz.

74. In §. 15. h. t. Imp. dicit actiones in rem vocari Prædicationes; quia vindicare est suam asserere, & actiones in personam vocari Conditionales; a condicendo, seu denunciando; quia olim creditor debuit denunciare debitori certum diem, quo in jus veniret. Hodie sublati denunciationum solemnitates, solum nomen conditionis remansit; ita ut actio personalis vocetur conditio, est non fiat cum denunciatione.

§. V.

De Actionibus Prætoris rei, pæne, & universali.

Hæc divisio traditur §. 16. h. t. ut sciamus quid, quantum, & quomodo ab adversario sit petendum.

75. Q. I. Quid sit actio rei persecutoria? R. est illa, qua petimus vel rem nostram, vel nobis debitam, non poenam legalem. §. 17. hoc rei. poenam vero conventionalem alicui contractui adjectam persequimur eadem actione, qua negotium principale. Actiones rei persecutorie sunt: 1. Omnes reales §. 2. relate. 2. Fere omnes personales ex contractu, vel quasi-contractu, excepta actione depositi in casu ruinae, naufragii; & simili, quo depositarius negat aliquid apud se fuisse depositum; tunc enim contra eum datur actio in duplum: qua tamen non tenentur heredes, nisi si isti fuissent doli participes. §. 17. v. plane. h. t.

76. Q. II. Quid sit actio pæne persecutoria? R. est illa, qua actor ex delicto rei agit in poenam legalem, seu in id, quod nec sibi abest, nec reo adest. §. 18. h. t. ut ita delicta coercentur. Tales actiones sunt dæ: furti manifesti in quadruplum; & furti non manifesti in duplum pure pæne, salva vindicatione, vel conditione furtiva pro re furto sublata restituenda. Hodie ob inopiam furum raro locus est istis pænis; sed plerumque fures puniuntur poena corporali.

77. Q. III. Quid sit actio mixta, rei, & pæne persecutoria? R. est illa, qua petimus rem ipsam, & simul poenam legalem. §. 18. h. t. Tales actiones hic enumerantur quatuor: depositi in casu ruinae §. 17. in fin. h. t. ut ante nu. 75. dictum, & honorum raptorum, L. Aquilia, & pro legatis piis.

78. Actio vi honorum raptorum est prætoris competens ei, cui res per vim rapta fuit, contra dolum raptorem intra annum in quadruplum, post annum in simplum. §. 19. h. t. in quadruplo simplum est rei, & triplum pæne. Cum vero vis sit de genere illicito, semper in raptoe præsumitur dolus, nisi probet errorem, quod excusativum esse suam. Edicta Prætoris vide tit. ff. vi honor. raptor. & in Jur. Can. lib. 5. tit. 17.

79. Actio L. Aquilia est civilis ex Plebiscito Aquilii competens domino contra damnificatum, ut damnnum cum poena legali restituitur. §. 19. h. t. Si reus neget, agitur in duplum, simplum rei, & alterum tantum poenæ in punitionem mendacii. ibid. si vero confiteatur, aliquid poenæ insignitur ex cap. 1. & 3. L. Aquil. l. 2. pp. & l. 27. §. 5. ff. ad L. Aquil. de quo vide in Jur. Can. lib. 5. tit. 36.

80. Actio pro legatis piis est civilis competens piis causis contra eum, qui dolo negat, vel sine causa differt solvere legata pia ad hoc, ut pendat duplum cit. §. 19. h. t. Directa datur contra hæredem; nullis vero contra legatarium, vel fideicommissarium a testatore gravatos ad largiendum quid pro piis causis.

§. VI.

De Actionibus mixtis in rem, & personam.

81. Actiones mixte, quæ juxta superius dicta tum partim reales, partim personales sunt, tum hic numerantur §. 20. h. t. familie heriscende, communi dividendo, & finium regundorum: quibus adde quartam, hereditatis petitionem; a qua, utpote celebriori hic incipiam.

82. Q. I. Quid sit hereditatis petitio? cui? contra quem? & ad quid competat? R. est actio civilis, qua hæres verus totam hereditatem, vel partem ejus petit cum omnibus accessionibus ab illo, qui eam pro hærede, vel possessore possidet. Qualitates hujus actionis sunt, quod sit universalis; quia per illam non res singulae, sed hereditas, ut est jus universum petitur; ut non sit audiendus Seneca, & alii hereditatem ærebus hereditariis non discernentes contra l. 50. pp. ff. de hered. petit. Mixta, quia per illam non tantum res ipse, sed etiam præstationes personales petuntur: si enim possessor hereditatis aliquos fructus percepit, aut consumpsit, vel culpa sua res hereditarias deterioravit, ad hæc omnia compensanda manet personaliter obligatus, & vi hujus actionis convenitur. In quo notabiliter differt hereditatis petitio a reivindicatione; quia in hac non veniunt præstationes personales, nisi expresse, & nominatim petantur: siquidem commoda non augent res singulas, bene vero hereditatem. Bona fidei, quia §. 28. h. t. numerantur inter actiones bonæ fidei civilis, quia a Jure civili L. XII. Tabul. introducta est.

83. R. 2. Hereditatis petitio competit vero hereditati, sive scripto in testamento, sive legitimo ab intestato, sive per se, sive per alium in potestate constitutum sit hæres: imo etiam si sit hæres. l. 1. r. 2. 3. ff. de hered. petitio. sive sit hæres ex asse, sive ex parte; cum idem juris observetur in parte quo ad partem, quod in toto quo ad totum. Unde in Digestis post tit. de hered. petit. statim subjungitur alter titulus: si pars hereditatis petatur. 2. Hereditatis petitio, non directa, sed utilis competit emptori hereditatis, sive a fisco, sive a privato eam emerit. l. 13. §. 9. l. 54. ff. de hered. petit. l. 5. C. de hered. vend. idque ex rescripto Divi Pii l. 16. de part. nam emptor, vel donatarius non titulo universalis, sed potius singulari hereditatem accipit; cum lex, aut testamentum, non conventio, seu contractus hæredem faciat. l. 5. C. de part. conveni. Si tamen esset sit hereditatis petitio, videtur directa competere cessionario. cit. l. 5. 3. Actio ista non tantum uni, sed & pluribus hæredibus competit, sive simultaneæ, sive scorum agant; nisi quis tacite ei renunciet v. g. scienter legatum accipiendo; atque ita pro legatario se gerendo; & testamentum approbando. l. 10. ff. de inoff. testam. l. fin. C. de codicill. Non prius autem actio ista competit, nisi post agnitam hereditatem, dum hæres eam adivit, aut ei se immiscuit: nam ipsa non agnita, nullus est actu hæres.

84. R. 3. Hereditatis petitio competit contra illum, qui rem hereditariam bona, vel mala fide possidet titulo pro hærede; curre ipsa non sit hæres lib. 9. 11. ff. de hered. petit. vel titulo pro possessore, qui nullam justam, vel coloratam causam possidendi habet, præter illam: quia possideo. l. 11. §. fin. & l. 7. Cod. ead. ut fur, & quivis male fidei possessor: vel qui possidet titulo de jure invalido; ut si emat a furioso, minorenni, pupillo l. 13. §. 1. ff. eod. 2. Qui rem hæredici.